

I ▶ AVRVVM ▶



Vrum, contra sententiam Flacci & Pompeij à splendore nomen accepit. aura enim veteri verbo splendor est. Vnde Virgilius in 6.

— *Auri per ramos aura refulsit.*

Et Horatius in Odis eâdem metaphora auram pro decore posuit,

— *Tua ne retardet*

Aura maritos.

Afferunt alij alias quoq; etymologias: sed hanc vt rei conuenientem & maximè propinquam amplectimur. Medici morbo ictero seu arquato laborantes, ab ipsorū cutis colore, quæ flaua luridaq; est, ex aureo genere $\chi\rho\upsilon\sigma\delta\gamma\upsilon\acute{\nu}\alpha\varsigma$ esse dicunt. Vnde nonnulli auriginem formant, vt æruginem. Color autem auri fuluus, num sit ex terra admista, an ex fucco, quàm argenti magis excocto, id philosophis exquirendum relinquo. Interpres
Pin-